

Vk
2797

X 1974957

Q. F. F. E. S. S. I. E. D!
 CHORI FORI^QVE CHEMNICE NSIS
 PROCERES,
 Omnesqve Literariæ Existimationis Studiosos,
 de
 CORONA AUREA
 in
 INSIGNIBUS
 ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
 SCHOENBURGICAE

perorantem
 simulqve Scholastico Cœtui valedicentem
 JOHANNEM GODOFRIDUM KOENIGIUM,
 Wideraviensem Misnicum,
 ut auribus audiant benevolis,
 Die. 18. Decembris, M. DC. XCIII.
 hor. 9. antemerid. loc. consveto,
submisso animi cultu
 rogat
 M. GODOFRIDUS SCHULZIUS
 Rector

Typos subministrante Conrado Stöffelio.





REGIS

Antiquissimum in terris extitit *Nomen*,
Numen, Supremi Numinis imperio, verendum;
orbis quoniam nascens
Regem dedit *αὐτόχθονα*.

Ut enim se aperuit,

ACTORE DEO,

Splendidissimum Mundi theatrum,

R E X prodiit

sine malis *felix, felicior* in malis.

REGUM enim vivebat vitam

Sanctissimus sine affectu,

lucem hauriens ex **DEO** sine tenebris;

Locupletissimus sine defectu,

Regiam adiens mensam Paradisiacis instructam epulis;

Ornatissimus sine despectu,

habitus ab Optimo Maximo cœli Rege Regiisque Ministris in deliciis.

Quid quod?

Sine curis prosperrimus, sine morbis integerrimus, in agendo dexterrimus.

Ut ut verò

Sapientissimus *ingenio*; *genio* tamen pæne puerili

allectus **P O M O**,

Regium perdidit diadema & sceptrum.

Vix aureum fuisse credas,

quoniam *secula invexit ferrea*.

Vix *halanti* fragrasse autumes odore,

quoniam *natura per illud computruit*.

VIRUS VIRO

REGI propinavit **REGINA**,

ex quo *crater in urnam, cœna in tragicam cessit scenam,*

ut eadem dies

& in fastigio coluerit Regem

& ad tribunalis vestigia supplicem viderit reum.

Sic in Agricola abiit Rex,

qui terram coleret, cum *Numen* non coleret,

& timeret non timenda, cum timenda non timeret,

excitato in vitæ viridario acerbissimæ mortis monumento.

Clausula itaque,

Velut uno actu, tragœdia

proplausu planctus (heu durum!) resonuit,

complens pro lætitia mentis omnia lamentis.

At

Ast iterum

nova se aperuit *Scena*,
qva *felix* olim, è malis miser emerfit *felicior*.
In tenebras cum rueret orbis & ad occasum
vergeret dies,

amoenissimus *Phosphori* prælusit radius *luci*:
ad rastra cum transirent scepra
in *semine* cognovit suo *Celsissima* Regum *stemma*,
editura REGEM

ex *aula* cœli in *caula* Bethlehemi
Antiquorum Antiquissimum, Novorum Novissimum,
qvi daret

Sacerdotes in purpura Reges, & Reges in purpura Sacerdotes.

Majorum hæc consuetudo fuit,
ut Sacerdos Rex esset & Pontifex.

Ecclesiæ non nascentis modo probat facies,
Asiarchas etiam, Bitynarchas, Lyciarchas coluit Asia.
Athenis Hierophanta βασιλεύς, Romæ Rex
sacrorum egit curam.

Reliquit ergo,

Pastores inter Rex vagiens in cunis,
Pastores purpuratos suo sanguine Reges,
Eminentiores in cœli quondam purpura futuros Reges.

Docuit autem in terris

& sceptrum manu versans & pedum,
Παραπλήσια εἶναι ἔργα νομέου ἀγαθῆ καὶ βασιλέως ἀγαθῆ.
Si rectè velim æstimare Natales,
ea in lucem edidit profapia Te,

JOHANNES GODOFRIDE KOENIGI,

quæ ultra seculi memoriam

VIDERAVIÆ

Reges dedit nomine, omine Pastores;
ut *Regibus longâ dicaris serie atavis editus.*
si vitam spectem,
alienus quidem, sed & idem videaris Regibus.

Alienus:

Nam Rex est, qvi non habet Regem,
Tibi regno charius agere sub regibus ætatis ætatem:
Rex nihil metuit,

Tibi timor verecundiæ parens, modestiæ magister:
Rex nihil cupit

Tuum cupiditas exacuit animum sapientiæ scaturigo:

Rex sumit; tu ponis regios spiritus:

Ille in otio, tu in negotio agis:

Ille torquet, tu submittis scepra.

Terris ille imperat & foro: *foro tuum est servire.*
Licet vero alienus, idem tamen Regibus haberi potes.

Nam si rex est, qvi sui rex esse potest,

si rex est, qvi recte facit,

si prima ars regni, posse invidiam pati,

si regium opus male audire, cum feceris bene,

si regis virtutis, regnum posse sine regno pati,

si fastigium non dat popularis ambitio sed spectata inter bonos moderatio,
Regnum Tu Tibi, KOENIGI, æternum immortale dedisti, comparasti.

Qvis

24 2797
Quis ergo dabit crimini,
Te cum *Corona* prodire in *Coronam*?
Coronis enim capiuntur mirificè Reges,
ornantur,
illustrantur.

Cui mirum igitur Te coronarum splendore affici, honore reficì?
In primis cum in

CELSISSIMÆ
SCHOENBURGIORUM
DOMUS

intuereris coronam
in INSIGNIBUS cum insigni stemmatis clari laude radiantem,
tacitos *pietas* admovit stimulos,

ignem subdidit *observantia*,
coronario ut doctrinæ *auro*
opus nec tendum meditare *is coronarium*.

ad virtutis INCLYTÆ DOMUS gloriam,
non quidem illustrandam,

(quid enim splendoris addi potest ILLUSTRISSIMIS?)
non condecorandam,

(quod enim Decus surgat ex humili SPLENDIDISSIMIS?)
non ornandam,

(quæ enim sufficiant Ornamenta ORNATISSIMIS?)

sed submissâ saltem veneratione colendam,
honorifica mentis pietate extollendam,

Ne vero *coronamento* velut otioso pascatur in manu,
VOS

CAUSARUM utriusq; FORI REGES,

oro obtestor,

ut de *Corona* in *Coronam* liceat effundere vocera,

quo *latior scena*, *corona diffusior*
pateat contendenti ad altiora.

Ne tamen

sine corollario velut de convivio discedatis,
coronidem imponat

Johannes Nicolaus Zacharias Frauenstein, Misnic.

qui,

rosæ candidoqve SCHOENBURGICORUM *Insignium colore misto*,

comam se accingentis KOENIGII abire Vitebergam

præcinget velut corona.

Fac itaq; L B probes affectu

TE TUUM hoc quasi custode coronasse pectus:

CORONAM NE CARPSERIS!





Am
Numen,
 Spl
 fi
 R
 lucer
 Regiam adiens
 habitus ab Optimo Ma
 Sine curis prosperrimus
 Sapientiffi
 Regit
 qvo
 Vix h
 qvoni
 R
 exqvo crater i
 &
 & ad tribun
 Si
 qvi terrar
 & timeret no
 excitato in vitæ
 proplausu
 complens

Am
 um;
 epulis
 ris in deliciis.
 do dextrimus.
 rili
 nam,
 n.
 ret,
 nento.

ft

